



~~77~~
O R A T I O
D E

13

CAUSIS CATA-
CLYSMI THURIN-

giaci, 4. Calend. Junii, Anno

M. DC. XIII. noctu subito facti, an ille fue-
rit tantum naturalis, an à DEO immissus, an verò à malis
hominibus ortus: ut & de mediis, quibus ejusmodi Tempesta-
tibus possumus ire obviam.

*Scripta est in presentia septem Illustrissimorum
Principum ac Ducum Saxonie, trium Illustrium ac Generosorum
Baronum: in Magnifico Patrum Academicorum consessu, conflu-
xusq; Studiosorum frequentissimo publicè recitata*

J E N Æ

Die XXV. Julii

à

M. Adamo Köchlero Eysenber-
genfi S S. Theol. Stud.

A N N O

DoMIne ne Corripe nos In fVrore tVo.



32

Typis & sumptibus HENRICI Rauchmaul's.



V I R I S

M A G N I F I C I S,
N O B I L I S S I M I S,
Amplissimis, Clarissimis &
Consultissimis, D N: CANCELLARIO
ac cæteris Illustrissimæ Aulæ Altenbur-
gensis C O N S I L I A R I I S, fidelissimis, &c:

Dominis, Mæcenatibus, Promotoribus:
ac Dεργέταις suis, summo observantia cultu
prosequendis.

Q Σ ἐμὰ ἔργα μέλει ὑμῖν, βεληφόροι ἄνδρες
Παιίδος ἢ πατέρες, καὶ με φιλεῖτε ὁμῶς:
Τοῖα ἔγωγε φέρω ὑμῖν μελίγματα Μισῶν,
ὡς μάλλον σπυδὴν εἶτα φιλήτε ἐμὴν.

Χερσὶν δέχθε δόσιν σμικρὴν, καὶ ἔμφροσι θυμοῖς
φράζεσθε, ὅτι κραδίης ἴλαοι ἔσε ἐμοὶ.

Υμέας ἀντιφιλήσειεν θεὸς ὑψιγένησθε, ὅτι
δοίη εἰς ἔργοις ὑμῖν καὶ εὐτυχίην.

55

Ducit



DUcit Sala graves gemitus, dat signa
doloris :

Ejulat attonitâ turbidus Ilmus aquâ.
Felicibus resonat Thuringia tota querelis :
Et tristes iterat voce gemente sonos.

Incola fert luētus omnis, lachrymisq; fatigat
Ora: nec ullus, quæ causa doloris, ait.

Constat enim facies fuerit quæ tristis Olympi,
Et modò quem dederint nubila densa sonum :

Constat quàm tremulus vibratus in aëre fulgor,
Quasq; gravis rapidas volverit imber aquas.

Quæ loca vastarunt, validas quæ fluctibus ades
Evertère solo; quæq; tulère bona.

Quæ pecus ac homines, Natos, Matresq; Patresq;
Undis submersos abripuère feris.

Hinc omnes lugent: hinc athera questibus implent:
Hinc querulâ deflent publica damna cheli.

Sed quæ causa mali fuerit qui fons & origo
Pagellæ reliquæ singula, spero, docent.

Nempe DEUS certis qui legibus astra gubernas
Et nubes filo ducit in orbe levi,

Qui moderatur opus dextrâ mirabile mundi
Cunctaq; progressu, quò velit, ire facit.

Is dedit insolitum crepitantis grandinis imbrem
Offensus culpâ quâ puto, nemo caret.

90

*Ergò dolenda magis scelerata crimina vitæ,
Quàm succensendum, qui regit omne, DEO.
Quod superest vos Aonidum Themidosq; patronos
Defendat Jovæ gratia summa precor.*

Hanc Orationem πανηγυρικὴν, cùm in sui
commendationem, tùm grati animi decla-
rationem mittit & inscribit

M. Adamus Köchlerus
Eysenb. S. S. Theol. Stud.

ORATIO



O R A T I O
DE CAUSIS CA-
TACLYSMI THURIN-
GIACI: ut & de mediis, quibus ejus-
modi tempestatibus obviam ire possumus
ac debemus.

D Emonax olim, insignis ille Phi-
losophus, Illustrissimi ac Celsis-
simi Principes ac Domini, DN.
FRIDERICE, DN. WIL-
HELME, DN. ALBERTE,
DN. JOHAN-FRIDERICE, DN. ER-
NESTE, DN. FRIDERICE-WILHEL-
ME, DN. BERNHARDE, *Fratres germa-
ni, Duces Saxonia, Julia, Clivia, & Berga,
Landgravii Thuringia, Marchiones Mi-
snia, Comites de Marca & Ravensburg,
Domini Ravenstenii, Domini Clementissi-
mi: ut & Magnifice Dn. ProRector, Ma-
gnifice Dn. designate ProRector: Illustres
ac Generosi Domini Barones: Viri Reve-
rendi*

A 3

Antoni-
nus in Me-
lissa Max.
fer. 21.

rendi, Nobilissimi, Amplissimi, Clarissimi,
Consultissimi, Spectabiles, Humanissimi, Do-
ctissimi: Tuq; florentissima generis nobilita-
te, eruditionis ac virtutum ornamentis stu-
diosa Corona: Demonax, inquam, insignis
ille Philosophus & Hadriano Imperatori
amicissimus cum ab amico quodam interro-
garetur, an mundus esset animatus & globo-
sus, nec ne, id responsi dedisse fertur: Vos, in-
quit, solliciti estis de mundo & vestram ipso-
rum immundiciem non curatis. Elegans ve-
rò responsum & tanto tamq; eximio viro ad-
modum dignum, quò non modò Sciolum istū
in pudorem & ruborem vertit, domumq; ad
suos, egregiè crines depexum, remittit, sed om-
nes etiam eos, q; rerum alienarū novarumq;
nimis appetentes, iis se se ingerunt, quorum
usus in vita humana planè nullus est, (quod
vitium γλυκύπικρ & γαργαλισμὸς à Plutarcho vo-
catur) gravissimè reprehendit. Sunt enim,
qui, nescio quo Spiritu afflati, vehementer
scire desiderant, quidnam rerum agatur a-
pud Antipodes: Sunt, qui curiosè quærunt,
& perquirunt, quid olim Juno, ut ille apud
Plautum

Plautum loquitur, cum Jove sit fabulata: In Trim.
 sunt, qui anxie explorant, an telum, ab Ace-
 ste emissum, in aere potuerit exardescere:
 sunt, qui scrupulose sciscitantur, quo adjuti
 medio Icarus & Daedalus ex labyrintho tras-
 volarint, aliaque conantur per vestigare, qua
 nullius plane momenti ac ponderis sunt, quaeque
 nec futura nec facta: Interea vero ea negli-
 gunt omnia, & nec uno tantum oculo dignan-
 tur aspicere, qua domi fiunt & ad pedes sita,
 ac quibus de haud raro verendum est, ne, si
 tam negligenter habeantur, tam parvi esti-
 mentur, tam superciliose contemnantur, gra-
 vissimum aliquod malum non uni tantum
 homini, sed toti alicui civitati aut regioni in-
 ferant.

Hoc vero qui faciunt, digni censentur
 merito, qui non modo vescantur Nasturcio,
 & helleborum bibant, ut eò subtiliores sibi Spi-
 ritus colligant & eò circum spectius & acutius
 de rebus, quas in manus tractandas suscepe-
 runt, cogitare possint: sed etiam qui secundum
 Locrensiū leges gravissime plectantur. Ne
 autem

autem & nos pari cum eis passu ambulemus, & eandem nobis culpam reprehensionis atrahamus, animo & corpore ab illis Curiosulis discedentes, in aliam nos viam longè tutiorem securioremq; conjiciemus, comites daturi fidelissimos Plutarchi & utraq; aure auscultaturi, quid loquatur ille & imperet, ut eò felicius nostrum iter conficiamus. Ma-

Plutar. in
Numa.

ximè verò ἰστορητέον, hoc est, ea agere jubet, qua nostri sunt muneris & officii, qua decent, qua honesta, qua utilia. Cui ὁμόψυχος est

1. Pet. 4.

Apostolus, qui severè prohibet, ne simus ἀλλοενοεπισκοποι & rerum alienarum curiosi,

1. Thes. 4.

sed res proprias semper agamus.

Qua de causa cum satis jam nobis materie non tam domi nostra, quam hac in regione adspeculandum & agendum undiquaq; se suapte sponte offerat, in ea quoq; nos jam continebimus, perlustraturi oculis paululum clarioribus ea, qua nuper acciderunt. Nondum abierunt menses duo integri, quo, ut omnes probè norunt & nosse debent, subito præter omnem spem & expectationem tanta in cælo tempestas oriebatur, tanta tonitrua audiebantur.

diebantur, tanta oculis cernebantur fulgura,
 tanti per aërem ignes volabant, tanta gran-
 dines decidebant, tantaq; ex imbribus, qui e-
 rant vehementissimi, aquarum copia existe-
 bat, intra unius semihorula, ne minus dicam,
 spatium, quanta omnium nemo post hominū
 memoriam unquam hac in Thuringia vel
 viderit majora vel legerit paria. Illa verò
 insueta tempestas qua mala huic regioni intu-
 lerit, quot aedificia & in oppidis & vicis pas-
 sim ac pagis subverterit, quot pecudes suffo-
 carit, quot homines utriusq; sexus & aetatis,
 tam viros quam fœminas, tam parentes quã
 liberos, tam magnos quam parvos abripue-
 rit & submerserit, non opus esse judico, ut
 pluribus jam dicatur, cum ipsa rostra hac o-
 ratoria, qua ad dicendum conscendi, paucis
 ab hinc septimanis de illis omnibus reddita
 sint certiora, & nondum è luctu & mœrore,
 in quem à nuncio fuerunt tum precipitata,
 excessisse videantur.

Causa autem illius qua fuerint, quan-
 tum quidem ego scio, cum nondum satis co-
 gnitum sit & exploratum in iis jam propo-

B nendis



nendis & eruendis ingenii mei vires, quae quidem, ut ingenuè fatear, admodum sunt accisa & contracta, periclitabor. Quare, ut intelligatis, quid expectandum à me sit, hoc semihorula spatium, cum de causis huius tempestatis, seu quod idem, an illa fuerit tantum naturalis, an à DEO immissa, an verò à malis hominibus orta: tum de remediis, quibus eiusmodi tempestatibus, quas DEUS imposterum clementer avertat, obviamire possumus ac debemus, quantum quidem & temporis sine brevitas, & mea feret ingenii imbecillitas ac vestra denique in auscultando patientia permittet, verba sum facturus: Priusquam verò ulterius provehar, à Vobis Illustrissimi ac Celsissimi Principes, Domini Clementissimi: à vobis Magnifici Dn. Prorektor & Dn. designate Prorektor: à vobis Illustres ac Generosi Dn. Barones, Domini clementes: à vobis Viri Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Clarissimi, Spectabiles, Humanissimi, Patres conscripti: à vobis Studiosi, Nobilissimi, lectissimi, omnibus ac singulis, eâ, quâ possum,

possum, quaq; decet, animi subiectione ac
 reverentiâ peto & contendo, ut quo atten-
 tionis studio initium huius meae orationis au-
 dire capistis, eodem & medium ac finem audi-
 re haud gravemini: ac si fortè vel ex jeiuni-
 tate styli, velex inconcinnitate actionis, vel
 ex tenuitate rerum, tedium aliquod, ut omni-
 nò mihi metuendum, auribus & animis ve-
 stris politissimis limatissimisq; obrepserit, ve-
 stra statim benevolentia ac favore idem ut
 auferatis. Atq; ut hinc exordiamur, scitè ad-
 modum & peritè Scaliger, subtilitatis ma-
 gister, omnes, inquit, res suas habent causas.
 Et Philosophiæ parès Aristoteles. Quicquid
 scimus per causas scimus. Quod adeò verum
 est, ut nihil planè cognosci, plenè explorari, p-
 bè perspici possit, cuius nos causa latent. Quo-
 tus quisq; n. est, qui scire queat & perfectè in-
 telligere, cur ex equorum cadaverib. crabro-
 nes, ex asinorum Scarabæi, ex hominum ver-
 mes & serpentes nascantur: cur agri optimè
 culti & selectissimo frumento consiti lolium,
 avenas ac spinas simul ferant: cur omnes
 res in terrarum orbe, quaecunque tandem,

1. 3. Poët.

cap. 8.

2. Met. 1.



sint illa, sua habeant incrementa & decre-
 menta, nisi horum omnium causas habeat
 quàm exactissimè cognitas & perspectas?
 Quod si itaq; de Cataclysmo Thuringiaco,
 quo ex genere ille fuerit, erudiri cupiamus,
 melius fieri haud potest, quàm si causa illius
 tum falsa tum vera explicentur.

Progrediuntur ergò primum Physici &
 Astrologi, ac principem sibi locum jure quo-
 dam vendicant, in id unicè impendentes ope-
 ram, ut eorum omnium, quæ fiunt in cælo,
 terra & mari, ut Poëta loquitur, sive quæ in
 suprema, media & infima aëris regione sese
 exerunt, rationes firmas reddant. Cælum,
 quod perpetuum, q̄ æternum, quod ab omni
 alteratione & mutatione liberum sit magna
 inter se contentione defendere conantur: quæ
 sint corporum cælestium magnitudines, quæ
 intervalla, qui cursus, qui progressus, quæ
 institio exponunt: quæ sit nubium materia,
 quomodo ex illis pluvia gignantur, unde nix
 generetur, quoq; modo intereat edisserunt: an
 & quæ nimborum, fulminum tempestatumq;
 causa.

cause dari possint, edocent: quæ sit quatuor
 anni partium, veris, æstatis, autumnæ & hye-
 mis lex, quæ noctis conditio, quæ meridiei fa-
 cies erudiunt, & omnia ita persequuntur, ut
 nihil ferè in natura sit, quod nõ perstringant.
 Quorum conatus, si iustis se in cancellis con-
 tineat, in laude potius, quàm in vituperio po-
 nendus est, cum utilitas inde, si non ex omni-
 bus tamen ex plerisque, ad omnes omnium ordi-
 num & conditionis homines maxima resul-
 tet & promanet.

Quod si verò longius extra metas sibi
 positas procedant ac in ipsius Dei sacraria ir-
 ruentes, ex cœli habitudine & astrorum qua-
 litate de Regum, Principum & Magnatum
 sorte ac fortuna, de calamitatibus subdito-
 rum, de interitu civitatum, de bellis, de pa-
 ce, de annonæ caritate, de peste, de inunda-
 tionibus, de sterilitate agrorum aliisque rebus,
 quibus D E U S pro sua justitia nocentes
 corripere, aberrantes reducere, ferocientes re-
 primere, flexibiles corrigere, avariæ & in-
 sanabiles perdere solet, futura prædicere sata-
 B 3 gant,

gant, ibi eorum rationes, quas munitionis loco pretendunt, in animis piorum jacturam faciunt turpissimam & omni probabilitatis fide spoliantur. Quorsum a. hac dicat aliquis, quorsum? eò nempe, ut intelligatur, quo in loco habenda sit illorum opinio, qui tempestatem istam, qua de iam potissimum mihi sermo est, naturalem fuisse asserunt. Nam et si nemo potest ire inficias, quod ex illa lege & virtute, quam DEUS effector & sustentator omnium rerum, in prima creatione, cælo & Elementis indidit, quotannis certo & prefixo tempore, pluvia, grandines, fulgura, tonitrua & alia meteora excitentur & ad nos deferantur: Tamen duo potissimum obstant, quæ faciunt, quò minus ego persuaderi mihi patiar, hanc quoq; tempestatem, quæ hanc regionem obruit & in miserrimum statum deturbavit, cum reliquis, quæ per annum fiunt, & non tam ad nocendum, quàm juvandum, non tam ad inundandum quàm irrigandum, non tam ad vastandum quàm servandum, non tam ad opprimendum quàm erigendum,

DEO,

DEO, qui magis delectatur rerum con-
 servatione, quàm interitu, totum hoc suâ
 prudentiâ sic disponente, ordinante, im-
 mittuntur, fuisse communem. Cum
 enim ingens aliqua per decursum aliquot
 horarum in cœlo esset pugna, fulgura ac
 tonitrua, veluti à se invicem laceffita, acer-
 rimè cum admiratione omnium digla-
 diarentur, & neutrum aliquid suo de jure
 vellet remittere, alteri què pacificationis
 media proponere, fulmen ingentis alicu-
 ius fragoris sub noctis conticinium inter-
 veniebat & veluti irâ percitum, vehe-
 mentissimum ictum edebat, qui, uti ma-
 gni nominis viri fide què dignissimi refe-
 runt, eodem fermè temporis momento,
 quo apud nos, in Suevia, Franconia, aliis què
 in locis, longissimè à se invicem distitis,
 fuit inauditus. *Quod ipsum an natura con-
 veniens sit & congruum an minus, dicant il-
 li, qui plenius eam fuerunt perscrutati. Et
 quid opus ut eò delabar? ipsa si loqui possent,
 elementa & suam nobis hac de re sententiam
 aperire, procul dubio idem, quod ego iam,
 essent.*

essent dictura, à se illam tempestatem legitimo modo non fuisse motam, sed ex alio quoquam mandato divinitus factò, immissam. Neq; enim ullum ego esse existimo, qui vel unquam in historiarum monumentis, licet eorum quamplurima evolverit, ipse legerit, vel ab alio intellexerit, talem ac tantam his in finibus Thuringiæ, (de Thuringia loquor) ab eo tempore, quo post universale illud diluvium homines inter se societatem coire, in colonias deduci, & in familias transferri cœperunt, fuisse exundationẽ fluminum, qualẽ ac quantum eam fuisse meminimus, qua de jam potissimum sermo teritur.

In Theatro orbis
tab. 10.

Meminit Ortelius, depingens Hyberniam, Insulam, quæ Angliam propè sita, lacus cuiusdam, Ernus appellari soliti, quod olim fons fuerit perexiguus, & paucissimos sinus aperuerit, sed ob horrenda incolarum patrata scelera & nefandam cum bestiis consuetudinem, DEO ad iram commoto, in tantam aquarum diluviem eruperit, ut non solum littora abroserit,

&

Et omnia illa finitima loca, quae et ubertate
 agrorum, et varietate fructuum et magni-
 tudine pastionis et multitudine aliarum re-
 rum feracissima, obruerit et devastarit, sed
 etiam infinitum hominum numerum aqua
 submerserit et suffocavit. Neque cuivis igno-
 tum esse arbitror damnum illud, quod Hol-
 landia & Frisia ex inundationibus accepe-
 runt. In primis vero anno millesimo, qua-
 dringentesimo vicesimo primo in regione illa,
 ubi Dordracum situm est, ex subita inunda-
 tione Maris, Rheni, Mosae, & Vahalidis
 plus quam centum millia hominum misere
 perierunt, submersis impetu aquarum septua-
 ginta duobus pagis. Ast vero ut liberè, quod
 sentio, dicam, an vera illa sint, quae de lacu
 Erno commemorantur, an minus, in medio
 jam relinquo. Reliqua ita sese habeant, ni-
 hil ominis tamen ingens se discrimen offert.
 Factis enim illis inundationibus, rapacissima
 flumina Rhenus, Mosa & Vahalidis procul
 dubio à ventorum impetu et procellarum
 flatibus concussa, et huc et illuc agitata, extra
 C sinus

Cam. her.
 subcif.
 part. 1. c. 86.

sinus suos excurrerunt, & postea progressu
 perpetuò aucta & tumefacta malum illud,
 quantum fuerit, perpetrarunt. Ast sermo
 mihi jam est de Thuringia, in qua neq; Ma-
 re, neq; Rhenus, neq; Mosa, neq; Vaha-
 lis, sed rivuli saltem quidam, si tantum
 exceperis Ilmum, fluunt, qui intra unius
 semihorulae spatium tantas provoluerunt
 aquas, tantisq; fluctibus intumuerunt, ut
 ades benè munitas subvertere, ingentes
 trabes protrudere, arbores radicitus evel-
 lere & suo de loco amovere, plaustra, rhedas
 & currus magni ponderis ac oneris abripere
 secumq; auferre & alia in loca inferre fuerint
 capaces. Hoc itaq; mihi concesso, ut omninò
 fas & aequum est, fuisse hanc Thuringiam
 tantam similem tempestatem & aquarum di-
 luvium antea nunquã expertam, hanc quoq;
 cuius jam saepius mentio facta, à natura mo-
 tam & ad nos ablegatam, nemo amplius, nisi
 qui eam vel impotentia vel imperfectionis,
 vel otii, vel sterilitatis, vel clementia vel bo-
 nitatis vel indulgentia notã signandam esse,
 arbi-

arbitretur, frustra defendere conabitur. Sed pergo ad reliqua. Idem vero mihi hic accidit ac nautis qui transvectis maris syrtibus, ad periculosissimos scopulos feruntur, & naves graviter periclitantur. Cum enim evictum jam sit, & ad oculum demonstratum, tempestatem illam non à natura, sed aliunde suam traxisse originem, alii, qui melius sibi sapere videntur, in medium se promovent, & illius causam veneficis & lamiis asscribendam esse stentorea voce clamitant. Quem nodum huius opinionis verè Gordiū & vindice dignissimum vel solvere & extricare vel incidere & secare omnibus viribus annitar, q̄ omnino spero factu futurum esse eò facilius, cum ipse quasi solvendum se exhibeat.

Sunt enim, qui omnem illis veneficis, la-
miis & incantatricibus vim atq; facultatem Wierus pag. 342
nocendi adimunt, certò sibi persuasum habentes, omnia ea, quorum nomine haud rarò illa redduntur suspecta, esse nihil aliud quàm aniles nugas, Siculas gerras, falsam imaginationem, meramq; phantasiam, innixi

maximè hocce fulcro, cum nemo possit alii oculum effodere, dentem excutere, aurem abscindere, brachium confringere, aut reliqua corporis membra ledere, nisi quam proximè eundem accedat & vel subula, vel gladio, vel pugione vel cultello vel acu vel furca vel alio quopiam instrumento externo utatur. Utinam verò utinam res ita se & non aliter cum perditis illis & non dignis, qui solis lucem aspiciant, hominibus, qui sunt naturæ *πειρασάματα*, Diaboli *τερετισμάτα* & mundi *κούβαλα*, haberet. Sed quod optandum, sperandum non est; ipsa sacra litera, qua pennis sunt omnis sapientiae & regula ac cynosura, ad quam omnes nostra cogitationes, omnia consilia, omnes actiones, vita deniq; ipsa conformanda & instituenda, aliud nobis suggerunt, quando veneficas & incantatrices vel planè occidi vel è medio piorum ejici & exterminari jubent. Tuba illa gentium Apostolus Paulus fascinationem inter opera carnis refert, quorum præmium sit mors altera, qua erit mors sine morte, finis sine fine, defectus.

Exod. 22, 18

Deut. 18, 10

Galat. 5.

Apoc. 21, 8.

occidi vel è medio piorum ejici & exterminari jubent. Tuba illa gentium Apostolus Paulus fascinationem inter opera carnis refert, quorum præmium sit mors altera, qua erit mors sine morte, finis sine fine, defectus.

ctus.

ctus sine defectu, quia mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit.

Neq; desunt exempla, quæ luce meridiana clarius idem hoc commonstrant. De Lapponibus in Norvegia memorant Historici, q; illi Daemonis, impurissimi Spiritus, familiaritate & consuetudine haud infrequenter utentes, ipsiq; tanquam Domino suo morem in omnibus gerentes, facta jam deliberatione, barbam, nescio quam, tribus nodis connectant, eamq; in via secum circumferant, quorum uno soluto, è vestigio præter omnem spem cæliq; dispositionem ingentem oportere sequi in mari tempestatem. Si verò alter quoq; dissolvatur, adhuc fluctus concitari maiores, tertio deniq; explicato, statim cælum terra misceri. Anno millesimo quadringentesimo, octogesimo octavo cum in Constantiensi Diœcesi magna tempestas obiretur, & per grandines, fulmina, procellas ac imbres omnis terra proventus per quatuor milliaria miserè affligeretur, rustici eò loci omnem illius damni culpam in Magas & ve-

(3 neficas;



neficas provolvabant, totamq; rem ad magi-
 stratum deferebant. Duabus autem illarum
 comprehensis, Anna de Mindelen & Agne,
 statimq; ad iudicium raptis, ultrò illa sine
 omni carnificis operâ, uno ore confitebantur,
 se die quopiam in agrum paucula cum aqua
 processisse, & licet altera consilium alterius
 nescisset, scrobem effodisse, eiq; aquâ infusâ,
 verba quaedam (quæ satius est ignorare, quàm
 tenere) pro auxilio & incremento magistri
 sui Diaboli, murmurasse. Quibus omnibus
 peractis simul ac domum revertissent, subito
 magnam cœli tempestatem extitisse & tantum
 populo malum intulisse. Haquinus Norve-
 giæ Princeps potentissimus, contra Danos
 pugnaturus, in imbribus, quos, ut Olaus au-
 thor est, technis suis ciere, quoties voluit, po-
 tuisse dicitur, suam spem victoriæ reportandæ
 magis collocatam habebat, quàm in auxilio
 DEI, scientia, virtute, auctoritate, felicitate,
 quæ omnia si in uno aliquo Imperatore cer-
 nuntur, illum Diis planè similem efficiunt. Sic
 Biarnenses polo Arctico viciniore in se-
 ptentrione

l. 3. c. 19.

Cic. pro
lege Ma-
nilia.

ptentrione quoties regi illi potentissimo Re-
gnero bellum essent indicturi, toties carmi-
nibus & incantamentis suis horrendam Da-
nis immittebant tempestatem. Ac certè dies
me ante deficeret, quàm scelera & artes mille
nocendi, easq; saltem nobiliores & insigniores
illarum bestiarum percenserem. Quid verò,
Auditores, tandem dicendum? an suo pro-
libitu ac lubitu possunt, quicquid velint, effi-
cere? an existimandum malum hoc Thu-
ringiacum ab illis esse productum? Hic pau-
lulum subsistite, subsistite quæso & prestolami-
ni ea, quæ bona fide vobiscum sum communi-
caturus. Quanam autem illa quanam? Cer-
tè suis ex viribus & ex sua natura miserrimæ
illa matercula vix possunt pulicem, ut lenissi-
mè dicam, suis ab arvis abigere: vix possunt
atro pane canem è fornace evocare: vix pos-
sunt felem à foco dispellere, ne ollas, herbis spi-
ritualibus, ad excitandas, si Diis placet,
tempestates conducentibus, plenas subvertat.
Quomodo ergò montes transponere, toni-
trua, fulmina, grandines excitare, tantamq;
aquarum copiam producere poterunt?

At

*Ac ut aliquantò fortius ulcus istud premam,
 quid obstat quò minus alii homines idem præ-
 stare queant? forsitan Vulcanus aliquis aut
 Dædalus, summus ille artifex, certa eis qua-
 dam instrumenta, singulari modo facta & ef-
 ficta, quibus in ejusmodi opere conficiendo u-
 tantur, post se reliquit? mirum verò est, quod,
 si ita sit, oculis humanis non videantur? Et si
 videntur, cur non magistratus politico statim
 significatur: Et si significatur, cur non bestia
 illa nocentissima vel comburuntur, vel alio
 quodam mortis genere afficiuntur: Et si hoc
 fit, cur adhuc tanta tempestatum frequentia?
 ô in malam rem cum ista opinione. Neq; est,
 ut quis tantam vim characteribus & mur-
 murationibus ascribendam esse censeat, cum
 nulla per se sit quantitatum efficacia, & ho-
 mini ab homine, ut verbis utar Scaligeri, eo
 quo dixi modo, noceri non possit. Quod si er-
 gò tempestatem aliquam cieant, pascua absu-
 mant, segeti damnum inferant, agros depopu-
 lentur, pecora affligant, homines interfi-
 ciant aut alia scelera & facinora perpetrent,
 non*

non propria potestate & ausu, sed ope & auxilio eius, cuius quæ animam (nisi in viam redeant & culpam suam deprecentur) quæ corpus, quæ bona, quæ facultates sunt mancipia ipsius mendacii architecti achomicida Diaboli, quicquid faciunt, perficiunt. Cuius tamen ipsius quoque ori frenum injectum, nares fibulatae, pedes ac manus ita constrictæ sunt, ut pro sua cupiditate, quæ aliàs in satiabilis, nec ullius tantum pii hominis crines in curvare, aliquem ledere, aut vitam privare audeat, quemadmodum præter alia exempla, quorum in sacris passim occurrunt quamplurima, historia Jobi, in quem, tanquam rivuli in mare, omnis eius furor se plenis ostiis exoneravit, luculentissime id commonstrat. Ac cum nubes & pluvia, uti nemo sanæ mentis ire potest inficias, sint substantia, non nisi ab eo, cuius potentia est infinita & æterna, quæ Diabolus & omnes reliquæ creaturæ prorsus earent, produci posse videntur. Est quidem Spiritus sagacissimus, & ipsius aëris princeps potentissimus, qui, cognitione artis Astrolo-

D gica

gica imbutus, cum ex causis naturalibus aliquam imminere videt tempestatem, extensis ingenii viribus, eam pro sua, qua valet, celeritate, fortiolem vehementioremque reddere potest: Sed tantam eum a Deo unquam accepisse potestatem aut licentiam, ut totam aliquam regionem miserè affligeret arces ac ades munitissimas subverteret, agros devastaret, pecudes suffocaret, homines submergeret & sine omni discrimine sexus & aetatis abriperet, nec è sacris nec è profanis historiis certi esse possumus. Haec tenus itaque fontem huius, quo de agimus, Cataclysmi Thuringiaci, & illum quidem uberrimam venam, minus tamen puram scaturientem aperuimus: nunc verum & limpidas aquas fundentem, si paululum adhuc mihi temporis largiri non gravemini, recludemus. Et quidem ipse DEUS, qui caelorum perennes orbes, qui sempiternos stellarum ignes, qui perpetuas elementorum vires, qui nubium cursus & institutiones, qui ortus & occasus hominum, qui vitam & mortem, qui denique res superas & inferas, mortales &

les & immortales aeterno imperio temperat, moderatur, gubernat, nec quicquam fortuito moveri, casu ferri, temerè turbari, immisceri, ladi & corrumpi patitur, DEUS, inquam, ille fuit, qui, è suo loco egressus, ut cum Spiritu sancto loquar, tempestatem illam, imbres, tonitrua, fulgura & grandines veluti agmina quædam, ad lustranda huius regionis spacia, ad obruenda tecta, ad subvertenda domicilia, ad capiendos pios cum impiis, bonos cum malis, liberos cum parentibus, infantulos cum adultis sineq; omni vel mitigatione vel mora enecandos manu quasi produxit. Ille est, qui aufert stillas pluvia & effundit imbres instar gurgitum, qui de nubibus fluunt: Ille est, qui de cælo nobis dat pluvias

Jobi. 36.

Act. 14.

ut Pauli verbis utar. Neq; cuiquam mirum videatur, qd totum hoc, quicquid fuerit calamitatis (fuit a. prob dolor maximum) à Deo ortum esse, & tamen præter naturam factum, quemadmodum paulò ante seriò diximus, firmiter asseramus, cum ipsius quoq; naturæ sit Dominus, eamq; in manib. suis habeat,



ac instar alicujus patrisfamilias illi modò
 possit imperare & aliquid efficiendum
 committere, modò ipse, quicquid lubet,
 efficere. *Qua in parte si quis forsàn fidem
 mihi abrogare velit, eum ablegatum cupio ad*
 4. Reg. 6. *ea, quorum sacræ literæ faciunt mentionem.*
 Sic verò legimus ferrum super aquis instar
 pennæ nataste : Solem tempore pugnæ
 Josux. 10. Josuæ substitisse & à cursu suo defecisse :
 2. Reg. 7. *repentinam tempestatem Philistæos op-*
pressisse, & quæ sunt huius generis alia, quæ
silentio datâ operâ involvo, cum nemo vestrû
sit, qui, si foret opus, ea vel non premeditatus
afferre possit. Illa verò omnia cùm naturæ
leges quàm longissimè excedant & singulari
ac planè divino modo fieri potuerint, ea quo-
que, quæ à me jam dicta sunt, in dubium vo-
cari iure haud posse videntur. Causa verò,
cur Deus malum istud evibrarit hanc in regi-
onem, nulla, quæ sit principalior, assignari
potest alia, quàm, ut uno, eodemq; generali
nomine omnia complectar, securitas & pec-
cata hominum, quæ tanta sunt magnitudi-
ne, tan-

ne, tanta frequentia, tanta varietate, tanta atrocitate, ut mirum non esset, si sol ad enumerationem, ne dicam conspectum, illorum cohortesceret & in alium colorem se verteret, rupes dissilirent, mare aufugeret, & terra alio, si quidem locus alius superesset, ne tantos tamque sceleratos homines gestare cogeretur, se conferret. O peccata, peccata vos primum mundum diluvio submersistis & perdidistis: vos eadem jam patria nostra tanta mala accersivistis & humeris quasi apportastis. Sed aures mihi nescio a quo vellicari sentio. Quid n. ? hac ipsa diluvie nonne Illustrissimis ac Celsissimis harum Regionum Matribus utriusque lineae earundemque liberis Generosissimis ac Celsis. Dominis nostris Clementissimis, maximum malum fuit illatum? nonne arces aliisque aedificia veluti ab hoste aliquo immanissimo direpta? nonne viridaria, agri, prata, eversa & luto coinquinata? nonne fruges laesae? nonne omnis generis frumentum collapsis granariis dispersum? nonne pecudes innumerae suffocatae, & quod hosti deplorandum, nonne

*subditi miserè perierunt? Equidem perfricta
 sunt frontis, hac omnia si pernegare velim.
 An igitur eorum culpam eò graviolem fuisse,
 quò gravior pœna extitit, arbitrabimur?
 Absit verò absit, ut collum nostrum è laqueo
 extrahentes, & ab humeris sarcinam excu-
 tientes, totum eis onus imponamus. Ut enim
 caput gravedinem suam non aliunde, quàm
 ex reliquis corporis membris accipit: Sic et-
 iam subditi in causa sunt, quòd magistratui
 haud rarò pocula, vino & aceto temperata,
 degustanda & exhaurienda propinentur.
 Quin & nihil absurdi, ut hoc quoq; addam⁹,
 nihil falsi, nihil quod à pietate & virtute alie-
 num dixerimus, si tempestatè illam horridam,
 nuncium quasi extremi illius magni diei,
 quo Deus totum mundum, cœlum & terram,
 omniaq; quæ in illâ continentur, viventia &
 vitæ expertia sensibilia & insensibilia ardore
 est deflagaturus, appellemus, ideò maximè
 emissum, ut nos de vitâ impiè transactâ ad-
 moneret, & ad emendationem reduceret. O
 felices ergò & iterum felices ac beati sunt o-
 mnes ii, qui eius voci obsequuntur.*

Diximus

Diximus hactenus de prima orationis parte, quæ dicenda fuere: Deinceps quomodo nos in ejusmodi calamitatibus, quas tamen Deus ille, qui dives est misericordiâ & bonitate, clementer avertere velit, gerere debeamus, paucissimis attexemus.

Duo verò hic hominum genera sese offerunt: Quorum alterum peccat *ἐν ἐλλείψει* in defectu: *ἐν ὑπερβολῇ* in excessu alterum. De utroq; si paucula quadam dixero, monstratâ prius mediâ & regiâ viâ, quâ iter nobis conficiendum sit, in portum me recipiam.

Ac primum quod attinet, ubi vis locorum reperire licet quamplurimos, qui tanta sunt perscripta frontis, tanta cervicis dura, tantiq; cordis ferrei, ut nec terræ motu, nec ventorum impetu, nec fluctibus aquarum, nec fulmine nec grandine moveri & ad molliciem ac terrorē se deflecti patiantur, sed instar cautis Marpesiæ stantes, alioq; suas, si quas habent, cogitationes mittentes, cristas erigant, & tantum non Diis, more Gigantum, bellū indicant, cuius rei laudē olim, ut refert Aristot.

lib. 3. Eth. 7

sibi

lib. 12.

*sibi vendicarunt Celtæ, qui, teste Æliano, nec ruinas parietum, nec incendia adium fugerunt, sed fluctib. marinis potius stricto gladio obviam occurrerunt, & aquis maluerunt obrui & submergi, quàm in fugam pedes con-
 jicere. Ac Cyclops ille apud Euripidem dicit se, Jove tonante, in spelunca sua libera-
 lissimè genio indulgere, vivere hilariter & bi-
 bere fortiter. Quem in modum Homerus
 versum istum scripsisse dicitur: & γὰρ κύκλωπες
 Διὸς αἰγίοχος ἀλέγασιν. Hinc Virgilius, Poëta o-
 mnium, quotquot inveniuntur facile prin-*

Æneid. 6.

ceps: Hic & Aloidas geminos, immania vidi
 Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum
 Aggressi, superisq; Jovem detrudere regnis.
 Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas
 Dum flammis Jovis & sonitus imitatur Olympi.

*Neq; desunt, qui tempestates cunctas, qua-
 cunq; tandem sint illæ, à causis tantum cieri
 naturalibus, & à Deo non curari falsò sibi
 persuadent, ut de Lucretio, Plinio, Sene-
 ca aliisq; quam plurimis legitur. ô verò homi-
 nes in rebus divinis & gloriam Dei nominisq;
 celebrationem concernentibus bliteos & qua-
 vis beta insipidiores, qui suam per imperitiã
 pro*

pro veris habenda esse volunt, quæ sunt in tri-
viis collecta. Sed pergo ad eos, qui in defectu
peccant. Hi verò eadem, quâ primi, indigent
limâ. Sunt enim qui, procul dubio alicuius
sibi facinoris probè conscii, oborta aliqua ve-
hementiori tempestate, initio quidem, quod
Eustathius dicere consuevit, sunt confiden-
tes, in factò verò ita timidi, ita meticulosi, ut,
si unus eorum aures fulminis ictus feriat, non
aliter quàm febricitantes trepident, si fulgur
appareat, Harpocratis in morem obmute-
scant, & nescio cuius in Trophonii antrum
se occludant. Neq; tum mens illis constat,

————— Sed mota vacillat & extra
Pectus cor salit & trepidant quoq; corporis artus.

Ac si forsàn inter illos quidam animosiores
reperiantur, quorum animi intra spem & me-
tum suspensi hærent, dici non potest, quanta
illi quærant aufugia, quanta excogitent di-
verticula, quantisq; se galeis induant. In
Papatu supersticiosi illi humunculi eò temeri-
tatis sunt progressi, ut tonitrua & fulgura
crotalorum crepitu, nolarum tinnimento,
bombardarum fragore, Campanarum sonitu,
abigere ac repellere, haud erubescant.

Nec non ignitas ingenti pondere glandes
Cannis emittunt creperis & fulmina spargunt
Horrida quæ cladem subitam minitentur Olympo.

*Qui mos, primum Ethnicis usitatus & ad nos
transmissus, iis etiam in locis, in quibus, cun-
ctis errorum nebulis discussis, vera religionis
cultus exercetur, in usum abire cœpit. Nisi n.
me fallit opinio in hunc usq; diem Erffurdia
intemplo Cathedrali cuidam Campana inscri-
pti leguntur hi versiculi:*

Laudo patronos cano gloriosa
Fulmen & arcens genios malignos.

Binsfel-
dius.

*Quid? ipsi etiam Physici nonnullis rationū
momentis, licet sint & numero paucula &
pondere levicula, demonstrare conantur,
Campanarum ac bombardarum sonitum a-
erem rariorem facere, nubium densitatem
dispergere, omnesq; futuras tempestates depel-
lere. Verum liceat mihi ab illis querere, qui
fiat, quod, si hoc fidem mereatur ullam, nebu-
la, quarum & raritas maior & propinquitas
tanta est, ut Campanas non solum ambient,
verum etiam attingant, adeo non à sonitu
discutiantur, ut potius hic ab illis opprima-
tur & suffocetur. Neq; quicquam hic dicam
de illis, qui, in gruente aliqua tempestate, ta-
bernacula*

bernacula è pellibus beluarum, quas vitulos
 marinos appellare moris est, extruunt, & in
 ea absconditi, firmissimè persuasum habent,
 se ab omni vitæ periculo liberos esse futuros.
 Nihil dicam de illis, qui amuleta ex gem-
 mis confecta grandini objiciunt: nihil de
 Persis, qui prasidio Achatis lapidis vitam
 suam commiserunt: nihil de Magis, qui Che-
 lidonias gemmas, quæ in hirundinum nidis
 reperiri scribuntur ad sedandam omnis gene-
 ris tempestatum vim & in iuriam, plurimum
 valere sunt opinati. Hæc omnia silentio lu-
 bens ac volens prætervehor, cum nemo vestrū
 sit, qui meas cogitationes, quid de illis sentien-
 dum sit, non ante verterit. Unum adhuc ad-
 dere libet, Auditores, quod vobis non futurū
 esse molestum planè confido. Apud Pontifi-
 cios olim sub cæli inclementiâ. S. Gregorium
 & Franciscum, more Ethnicorum, qui Jovē
 & Diuscuros aliosq; Deos fictitios quampluri-
 mos coluerunt, pro opitulatore & auxiliatore
 haberi & agnosci solitum esse memorant histo-
 ria. Et Urbanus V. Pontifex imaginem a-
 gni Dei cera impictam his cum versibus Cæsa-
 ri misisse traditur:

Suetonius
de August.

Plin. lib.
37. cap. 10.

Balsamus & munda cera cum chrisomatis unda
 Conficiunt agnum quod munus do tibi magnum
 Fonte velut natum per mystica sanctificatum
 Fulgura decursum depellit & omne malignum.

O miserrimi homines quò receditis, in quo fiducia & spem vestram collocatis? o summam temeritatem singulari alicuius nota adjectione signandam.

Nos, quibus, per Dei gratiam, vera illa lux, quæ illuminat hominum animos (cum Spiritu Sancto loquor, non cum Cicerone) affulget & in illuni etiam nocte lucet, missis illis & in ventum disseminatis opinionum falsarum, de tempestatibus collectarum, paleis, in mediam & regiam viam secedemus, omni quo possumus studio caventes, ne temerè vel ad dextram vel ad sinistram iusto latius aberremus.

Primum ergò & ante omnia divinam omnipotentiam ex fulminibus agnoscamus, certò statuentes, eam ita comparatam esse, ut nec humana ratione comprehendi, nec linguam efferi possit: neque quicquam nos aliud decere magis, quam ut sine omni intermissione illam coram populo, humilimo corde, laudemus, celebremus, deprecemur, in hac pro-

*rumpentes verba: Tu Deus maximè potens
es, tu magna facis in terris & mirabilia in
cœlis: tu magnus es & magnum geris nomen:
Tibi nullus similis: tu spes es omnium fi-
nium terræ: tu conturbas profundū ma-
ris & sonum fluctuum ejus: tibi omnia
sunt subjecta.*

Haud quicquam tibi ingens
Orbis habet simile aut secundum.
Mirante mundo tu DEUS unice
Miræ dedisti signa potentia:
Vota ergò Domino nuncupate & reddite:
Domino verendo munera
Ferte universi civitatis incolæ
Sanctæ: Deumq; agnoscite,
Reges superbi quem pavent, qui Spiritus:
Feros retundit impiis.
Nomen tuum jam carmina, jam lyræ
Nostræ sonabunt: vox tibi serviet
Dicata: præbebitque nostris
Materiem tua laus Camœnis.

Deinde cùm longè melius sit, fovere mo-
dicam amaritudinem in faucibus, quàm
æternum tormentum in visceribus, cum
Othone IV. Imperatore, qui, anathematis
fulmine ab Innocentio III. percussus, &
veluti à propriâ conscientia accusatus, de
vitâ malè transactâ ita doluisse scribitur,
ut se, vilissimam DEI creaturam à coquis

August. de
10. chord.

Cranzius
lib. 7. Sax.
cap. 37.

E 3

suis



suis conculcari cupiverit, in nos descendamus, ante acta probè excutiamus, ne vos seriò deploremus, culpamq; trepido corde confiteamur. Ac cum fulmina ista sint divinae justitiae arma, quib. illi, qui in securitate tempus consumunt, sibi peccandi licentiam imaginantur, ac ne semel quidè de vita emendanda & aliter instituenda sunt solliciti, ad penas rapiuntur, illi verò, qui, agnoscentes errata sua, de via impiorum recedunt, ad meliorem se frugè recipiunt, semitã justorum querunt, & verbum Dei amant ac diligunt, defensantur, Deo jam in nubibus versanti & jam jam explosuro cannas & exoneraturo bombardas obviam eamus, complicatis manibus eum rogantes, ut nos ab alto oculis misericordiae respicere, culpam nobis remittere, pœnam, vel avertere, vel mitigare, caseolis nostris parcere, & omnia bona sarta tecta q; prestare velit. Quod si verò ipsi visum fuerit melius esse & nostrae salutis conducibilius, nos his in terris castigari, quàm immunes à pœna evadere, facultates amittere quàm iisdem sanguinari, mori quàm vivere, nostra quoq; pietatis

tatis

tatis sit & officii, ut in eius voluntate, qua semper optima, acquiescamus, & equa mente ea perferamus omnia, qua nobis perferenda, expectantes diem illum, quo magno cum fœnore cuncta nobis, si non in hac, tamen in secutura vita, in qua participes erimus omnium cœlestium bonorum, restituantur.

Audivistis igitur hætenus, Auditores, de causis tum falsis tum veris Cataclysmi Thuringiaci, ut & de mediis, qua tempore ejusmodi tempestatum adhibenda esse videntur. Nunc cum & tempus, quod propè præter lapsum, & vestra patientia, quâ non decet abuti, mihi quasi manum injiciant & ad portum me recipere jubeant: equidem libens lubensq; hæc in parte parebo.

Priusquam verò id fiat DEUM ter Opt. Max. qui nutu suo temperat omnia, & in primis ea, qua humana, suo arbitrio suaq; providentia regit & moderatur, ardentissimis votis rogamus & obtestamur, ut, quando hanc suo in furore regionem invisit & ob iniquitates incolarum ei gravissimum malum intulit, in posterum sua ad nos gratia divertatur, & omnes eos, qui in mœrorem ac luctum ob nimiam bonorum tam mobilium, quàm immobilium jacturam, & amissionem suorum, quos charos habuerunt, cognatorum, deturbati sunt, erigat, reficiat, soletur, sustentet, alat, defendat. Quin & Serenissimum ac Celsissimum Principem ac Dominum, Dominum JOHANNEM GEORGIUM, Romani Imperii Archimarschallum & Electorem, Ducem Saxoniae, Juliae, Cliviae & Bergae, &c. Dominum nostrum Clementissimum, qui tutorio nomine hisce terris imperat, defendat

defendat & protegat alis clementiæ suæ benignissimis adversus omnes grassantes & nescio quid patriæ nostræ molientes sive Harpyias sive Furias, ne ipsius celsitudini ullo modo nocere queant: Nec non Illustrissimos ac Celsissimos, utriusq; lineæ Principes ac Duces Saxonix, Julix, Clivix & Bergæ, &c. Dominos nostros Clementissimos cum Illustrissimis illarum Celsitudinum matribus, adeoq; totam familiam Saxonicam, quæ in Cymbula sua tot jam annos non sine indignatione, & fremitu hostium, Christo hospitium præbuit, oculis suis clementissimis respiciat, & ex omnibus difficultatibus, in quas conjecta fuit, exolvat, & ad portum omnis felicitatis tandem reducat.

Ultimo deniq; loco supplices oramus eundem præpotentem DEUM, ut omnes in hoc Academico Lycéo docentes & discentes in vera tranquillitate, vitæq; ac corporis honitate, conservet, ut verbum ejus purè & incorruptè doceri, disci & ad omnem usq; posteritatem transferri queat. Tu DEUS benignissime fac, ut hocce votum meum longè ardentissimum ratum sit & acceptum, idq; unice propter nominis & numinis tui sanctissimi laudem & gloriam, nostram verò omnium salutem & incolumitatem.

D I X I.



M. MICHAEL
WOLFIUS, PHYSICÆ
SCIENTIÆ P. P.

ET PRO TEMPORE

COLLEGGII PHILO-
SOPHICI DECANUS


L. S. P. D.



NON MINUS RECTE,
quam sapienter & prudenter eru-
dita apud Græcos antiquitas di-
xit: *καθήματα καθήματα*. O utinam,
atq; iterum utinam illi, quibus de horrendis
in Thuringiâ inundationibus factis constat,
(& quidnî constaret!) re ipsa testatum face-
rent. Damnum enim quale quantumq;
fertilissima & amœnissima hæc regio perpeffa
fuerit, procul dubio, lippis & tonsoribus, ve-
luti in proverbio est, usq; adeò innotuit, ut ni-
hil magis sit reliquum, quàm ut vitæ nostræ,
plerunq; malè peractæ, rationem corrigamus,
F peccan-

peccandi occasionem vitemus, ac deniq³ meli-
 orem ad frugem revertamur. Etsi verò publi-
 ca in concione Vigiles Animarum nostrarum
 sedulò hortando, atrociter minando, & pa-
 ternè castigando, nunquam non suum faci-
 unt officium: ne tamen quid in Republicâ
 Literariâ desiderari queat: idcirco Juvenis-
 Vir, Humanitate & Doctrinâ Ornatissimus,
 Dn. M. Adamus Kôchlerus, Eysenbergâ-
 Misnicus, S S. Theologiæ Studiosus, se
 opera pretium facturum esse confidit, si illas
 ipsas inundationes Oratoriè exponat & di-
 ducat. Quemadmodum autem paucas an-
 te septimanas earum commemoratio ^{ισοετηρως}
^{παρὰ τὴν ἐπιτομὴν} instituta est: ita is ulterius in cau-
 sarum inquisitionem invehetur, ac simul me-
 dia, quibus Cataclysmo ejusmodi obviam
 quasi procedere possumus, proponet.

Quorum cum hodierno die Hora III. Pom.
 in Acroasi Majori facturus sit initium:
 cum primis Juventutem Scholasticam mone-
 mus, & si fas est, rogamus, ut dicto loco
 & tempore frequentes compareant, animiq³
 suis



sui benevolentiam erga eos, qui sit in uè in li-
 terarum studio decurrunt, adaugeant. Tem-
 pus est πολυελέσσιον ανάλωμα: certè si ejus parti-
 culam exercitio huic tribuerimus, nos pœni-
 tuisse nequaquam potis est. P. P. JENÆ
 25. Jul. Anno clō 1ō CXIII.



I.

NEptunus, K Ò C H L E R E, ferit magno impete
 terras
 cum tectis armenta rapit, segetesq; , coloni
 spes magnas, hominesq; novâ jam cœde truci-
 dat.

Quis nostrum à lacrymis tandè sibi temperet? Ecquis
 non totum in fletum sese dissolvat, & iras
 jam superûm interitum meditari cogitet? Eheu
 machina tam mundi conatu corruct uno. (fatigas

Causa superna subest, quam tu, K Ò C H L E R E
 & mentem ad superos deducis, & infima spernis.
 SUNT SUPERICULPAS POENIS QUI FOR-
 TITER URGENT.

Laudo tuas, K Ò C H L E R E, operas, quas poste-
 ra damno,
 (si quæ ventura est,) docta emirabitur ætas.

*M. Thomas Sagittarius Professor publicus,
 & tum temporis Academia ProRector.*

Qui





II.

Qui vicibus, KÖCHLERE, tribus tu pulpita nostra
 scandisti, atq; illinc rebus cum verba dedisti
 Salaidum ad Proceres, & quos Sala nutrit Alumnos?
 Quod res est dicam: nã sic conscendis ad alta,
 Atq; cupis tandem cum fructu proximo adesse.
 Fac DEUS ut voto respondeat exitus aptè.

Ἐνοίας χάριν εἶ.

M. Michaël Wolfius, p. t. Coll, Phil'
 Decanus, & Physices P.P.

F I N I S.



Don. Wa 791

ULB Halle 3
001 614 061



Sb.

V 17





CAU
CLYS M

giaci, 4. C
M. DC. XIII.

rit tantum naturalis
hominibus ortus: ut
tibu

Scripta & in pra

Principum ac Ducum


Baronum: in Magna
xuq; Studio

M. Adamo

gen

DoMIne

Typis & sumpt



73

A.

N.

no

fuē-
nalis

UM
ORUM

er-

32

caus.

